


LVNÆ DIE 25 M. AVGVSTI A. 2008  
A.d. VIII Kal. Septembres a. MMVIII

I 45

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**  
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451



## DE CÆLI CONDICIONIS MVTATIONE

SIVE DE MVTATIONE CLIMATIS, SENSU NEOTERICICO HVIVS VOCABVLI,  
QVI IN OCCIDENTALIBVS LINGVIS MODERNIS ADHIBERI SOLET

Omnia communicationis intermedia aures nostras obtundunt de climatis mutatione et præsertim de culpa societatis humanæ in hac mutatione. Certe recentibus observationibus universum incrementum mediæ temperaturæ Terræ nostræ monstratur, cuius effectus præcipue apparent in regionibus arcticis, ubi moles glaciales recedunt. ¶ Climatis causas investigare perdifficile est, quia oportet continuas observationes in toto orbe terrarum facere; perutiles etiam sunt observationes de summo cælo satellitibus artificiosis factæ. ¶ Ut autem aliquid detegamus de climate, quale prioribus ætatibus fuerit, necesse est scientiam geologicam interrogare. Hæc scientia iam undecimo sæculo orta est, cum lapidea strata Alpium scientifice investigari cœpta sunt; tunc apparuit complures ætates glaciales in Terra fuisse intra duo miliarda annorum et semis abhinc. Earum vestigia eo magis sunt dubia et tenuia, quo antiquiora, quod non mirum est. Sunt tamen aliqua inventa scitu digna; exempli gratia, intra glaciationem (ut dicunt scientifici) a Varanger vocatam (ante circiter 610 miliones annorum) tota Terra fuit glacie obtecta et temperatura tunc erat 50 graduum Celsianorum infra zerum. Aliud portentum: ante 65 miliones annorum tantus fuit calor in Terra, ut temperatura in polis esset 10 ad 20 gradus; nulla glacies ibi tunc inveniebatur; libra marium 200 metra superabat hodiernam libram, sed subito tempestas multo frigidior facta est, qua de causa extincta sunt multa animalium genera, inter quæ dinosauri. Tanta catastropha accidit cum cælum obtegitur spissis pulverulentisque nubibus, quas tollunt sive vehementissimæ eruptiones vulcaniæ sive magni aerolithi casus. ¶ At hæc sunt nimis antiqua tempora, fortasse dicet aliquis. Inspiciamus ergo ætatem quaternariam, ubi continentes formam hodiernam iam habent. Extenditur a 2,6 milionibus annorum usque ad nostra tempora, sed eius novissima octingenta milia annorum accuratius investigari potuerunt. Nam intra hoc temporis spatium duæ spississimæ glaciei crustæ, quibus Groenlandia et continens Antarctica obteguntur, integræ manserunt et in suis stratis memoriam servaverunt climatis mutationum. In Groenlandia primum, in continente Antarctica recentius, scientifici e glaciei crusta effoderunt volumina amplius terna chiliometra longa; singula huiusmodi voluminis strata congruunt cum tempore eo vetustiore, quo profundiora sunt. Chemica analysis aeris bullularum, quæ in stratis includuntur, multa docent de mutationibus aeris compositionis. Ex anno 1950 etiam fiunt effossiones in sediminibus in imis oceanis vel lacubus iacentibus. ¶ Quid ergo scientifice colligitur? Ætate quaternaria, ad minimum decies factæ sunt magnæ climatis mutationes, centum circiter milibus annorum inter se divisæ. Singulis vici-

bus periodum glaciale 80 circiter milium annorum sequitur periodus calidior, interglacialis vocata, 20 milium annorum. ¶ Cum homo Neanderthalensis Europam incolere incipit, cæli condiciones eadem fere sunt ac hodie. Deinde, ante circiter 110 milia annorum, incohatur novissima periodus glacialis, a Würm vocata. Intra hanc periodum moles glacierum gradatim crescit et maxima est ante 20 milia annorum; inde fit ut Orbis temperatura media, hodie 15 graduum, tunc 4 gradibus inferior facta sit et libra marium 130 metris inferior. ¶ De fine periodi glacialis Würm plura nuper comperta sunt, quæ in periodico Americano *Science* divulgantur; indagatores Dani, Iapones et Francogalli, qui volumina glacialia e crusta Groenlandiæ effossa minutatim inspexerunt, invenerunt temperaturam primum ante 14.700 annos decem gradibus auctam esse, et hoc intra triennium. Paulo post iterum frixisse, sed ante 11.700 annos temperaturam denuo decem gradibus auctam esse, tunc intra 60 annos. Sic demonstraverunt non solum climatis mutationes celerrime fieri posse, sed etiam quanti momenti essent in his mutationibus variationes circulationis atmosphæricæ. ¶ Non solum ætate quaternaria factæ sunt magnæ climatis mutationes, sed etiam recenter non parvæ acciderunt. Nam in hemisphæra septentrionali medio quarto decimo sæculo incohata est parva periodus glacialis; eius fastigium fuit inter annos 1645 et 1715; postea temperatura paulatim crevit et nostris temporibus celerius crescit; estne effectus humanæ industriæ? De hoc eo magis licet dubitare, quod compertum est incrementum temperaturæ 800 annis præcedere incrementum CO<sup>2</sup> in atmosphæra; itaque CO<sup>2</sup> non est causa incrementi, sed solum adiumentum. ¶ Complures sunt causæ climatis instabilitatis, quæ nondum sunt plane perspectæ. Imprimis elliptica Terræ orbita intra temporis spatium centum circiter milium annorum ita mutatur, ut distantia inter Terram et Solem augeatur usque 18 miliones chiliometrorum. Hæc orbita etiam mutari potest appropinquantibus maximis planetis, qui sunt Iuppiter et Saturnus. Accidit quoque ut vis Solis radiorum augeatur aut minuatur, fortasse statis temporibus. ¶ Tot ergo res incertæ adhuc sunt in studiis climatis, ut vix intellegatur tantum pondus hodie tribui actioni humanæ, nisi forte hoc modo homines vehementius incitentur ut fossilibus energiæ fontibus parcant. Cogitemus oportet homines eo difficilius posse se magnis climatis mutationibus aptare, quo frequentiores sunt in orbe terrarum; sed hodie magis agitur de copia CO<sup>2</sup> in atmosphæra, quam de effrenato generis humani incremento! ❧

Gaius LICOPPE

## LITTERARVM VIS

– de seminariis Hungaricis refert Gaius Licoppe –

Die 24 m. Iulii Francisca egoque autocineto vecti Segedinum (*Szeged*) pervenimus, quæ urbs in extrema meridionali orientaliq̄ue Hungaria sita est. Hora erat circiter tertia postmeridiana, cum vidulos deposuimus in deversorio, ubi Aloisius Miraglia seminariorum moderatores hospites habebat. Neminem nobis notum tunc ibi vidimus, quare statuimus per urbem ambulare. Fortuito occurrimus Bohumilæ Mouchová, quæ ad sedem seminariorum properabat; ibi enim cum nonnullis aliis ei erant docendi iuvenes usui linguæ Latinæ parum assueti, qui seminaria facilius possent participare. Dies enim 23 et 24 his præviis sessionibus dabantur.

Hora octava et quadrante Aloisius moderatores in deversorii atrio exspectabat, quos ad cenam duceret. Lautam cauponam *Alabardas* intrantes valde mirati sumus magnum cœcum multitudine participum refertissimum; amplius ducenti numerabantur undique oriundi, non solum e tota Europa, Russia inclusa, sed etiam ex America septentrionali et meridionali, nec non ex Africa australi. Per totam septimanam prandium et cena ibi participibus præbita est.

Die Veneris 25 m. Iulii hora decima facta est seminariorum inauguratio sollempnis; participes confluerunt in magnum recensque ædificium, quod est Academiæ Segedinensis bibliotheca. Ibi in suggesto sedebant delegati urbis et studiorum universitatis, qui participes salutaverunt plerique verbis Latinis. Cletus Pavanetto, periodici Vaticani c.t. *Latinitas* curator, etiam invitatus est ad verba faciendâ. Postea duas audivimus orationes et Aloisius ultima verba fecit. Peracta cærimonia, burgimagister participes ad prandium in ipsa curia sumendum invitavit; ibi in longa mensa apposita erant multa, varia necnon exquisita fercula.

Postmeridiano tempore hora tertia incohantur seminaria. Res hoc modo erant dispositæ: cottidie



In curia ante prandium burgimagistri legatus participes salutât Anglice; Annula Llewellyn eius verba in Latinum vertit, dum Aloisius Miraglia in suggesto ad dextram attente auscultat.

habebantur in tribus cœcis septem series ternorum seminariorum unius horæ: tres series antemeridiano tempore ab hora nona, quattuor postmeridiano tempore usque ad horam octavam; binæ pausæ interponebantur, quibus cuppedia varia et potiones præbebantur. Petitum erat a 29 moderatoribus, ut singuli terna seminaria curarent.



Hungari alumni, qui locorum mirabilia nobis ostenderunt et ad seminaria ordinanda multam operam dederunt, integrum annum degerunt in Vivario Novo.

Non possum hic de omnium seminariorum argumentis referre; præterea non omnibus interesse nobis licuit, cum terna eodem tempore haberentur. Maximæ delectationi fuit argumentorum varietas; participibus licebat ea eligere, quæ sibi magis attractiva videbantur. Non eodem modo omnes moderatores rem suam tractaverunt; alii enim putaverunt acroasin esse faciendam; alii post necessarias explicationes satis dilucide alta voce prolatas, textum proposuerunt legendum de quo cum participibus disputationem instituerunt.

Dominico die in ecclesia cathedrali missa Latina celebrata est a Cleto Pavanetto una cum ipso ecclesiæ sacerdote; cantibus Gregorianis illustrabatur.

Die 28, hora prima et dimidia participes tribus autorædis longis in oppidum *Opusztaszer* vecti sunt ad Hungariæ Nationale Memoriale invisendum. Fama fert Arpad, summum duce[m] septem tribuum factum, ibi collocavisse novam sedem Magyarum, quos Occidentales Hungaros vocant. In magno ædificio rotundo imaginibus illustratur Hungariæ historia. Nos ad auditorium summi tabulati ascendimus, ubi duo Hungari professores acroasin fecerunt.

Quibus auditis iam erat hora sexta et diei programma adhuc longum. Valediximus ergo et nostro Marte Segedinum rediimus; oportebat enim postero die multo mane surgere, ut uno itinere in patriam redire possemus. Dolendum est quod usque ad finem seminariorum manere non potuimus, sed instabat iter nostrum Constantinopolitanum... ❧

## ITER CONSTANTINOPOLITANVM

– de *Melissæ* symposio refert *Francisca Deraedt* –

Istanbul ! Constantinopolis ! Byzantium ! Si quis illuc Iautocineto hodie vehitur, non iam ex longinquo agnoscere potest, ut ante quadraginta annos fiebat, Theodosii mœnia urbem annuntiantia. Etenim « caput trium imperiorum » facta est megalopolis in qua quindecim fere miliones hominum vitam diversimode degunt. Mirum est e vico in vicum ambulare, hic populum maxime occidentalem invenire, illic autem magis magisque ad orientem religionemque mahumetanam versum, alibi etiam vere rusticum, tamquam si urbs e priscis temporibus numquam crevisset.

Grex noster Latinus illuc die 7 m. Augusti convenit, quattuordecim participes (nam quintus decimus ægrotans iter facere non potuit) urbis plerisque nondum notæ studiosissimi, mystagogumque nostrum Latinum, Wolfgangum Jenniges, quocumque sequi gestientes.

Et quidem ambulandum fuit. Lustrationem imperiali modo incohavimus : primo enim die hora octava iam ad palatium Topkapı properabamus, ut primi staremus ante tesserarum diribitorium. Nam augetur in annos numerus periegetum, nec mensis Augustus est inter omnes maxime tranquillus. Equidem turbas hominum conspiciens, qui tardo pede, oculis tædio plenis illac transeunt, non possum non dolere quod loca historica irreparabiliter delentur rapacitate commercii periegetici. Plerique enim non vere cupiunt pyramides aut Pompeios aut Constantinopolin videre : sed debent – eis enim inculcatum est hoc esse vitale.

Quidquid id est, in hortis palatii Topkapı primum ecclesiam Sanctæ Irenæ (semper clausam) videmus, iuxta etiam thesaurum publicum, postea sicut hospites sultani portas transimus unam post alteram, hi illic inauditas imperii Ottomanici divitias admirantes, itemque reliquias sanctas, ut est, inter multas alias, vestigium pedis Mahometi tulipantumve prophetæ Iosephi ; ante baculum Moysis alii alias de sanctis reliquiis volvunt cogitationes. Architectura autem nobis est tam extranea, tam locuples, ut nobis versari videamur in aliqua fabula « Mille et unius noctium », quæ dicuntur. Prandium sumimus in ipsis palatii hortis, ubi Gaio mihi que erat mirifica recordatio carnis veru versatæ (quæ « döner » vocatur) oryzæque, quam Turci sapidius quam ulli alii condire sciunt ; at infeliciter hæc delicata caupona nunc facta est ingens refectorium, nempe ob causas supradictas...

Inde exeuntes tria musea invisimus propinqua : archæologicum, laterculorum pictorum, artium orientalium. Ibi nova pars instituta est, quæ urbis historiam usque a cunabulis memorat. Sed maxime admiramur antiquos sarcophagos, quorum pulcherrimus falso dicitur fuisse Alexandri Magni.



*In vico Sultanabmet, prope Meschitam Cæruleam.*

Haud longe a museis visu digna est Porta Sublimis vocata, qua legati petitoresque magnum vizirum adibant. In altera parte viæ est mœnianum, unde sultanus quis intraret exiretve poterat speculari. Iuxta transimus hortos « rosarum » dictos, ubi pauca vestigia Romana possunt conspici.

Participes claudicantes, sed felices, cenam postea petunt...

Die Saturni invisenda proponitur Sancta Sophia. De qua quid dicamus ? Arte, magnitudine, sollemnitate præcellit, omnia in ea sunt superlativa. Solum dolemus quod, cum paulatim lentissimeque reficiatur, intra aliquo loco ingentia pegmata sunt posita, quæ ab ultima visitatione nostra, ante quinque annos facta, ne digitulo quidem sunt mota.

Prope Sanctam Sophiam est cisterna Basilica ; hæc, cum suis 336 columnis, videtur esse ecclesia cathedralis in mare demersa. Eam sæculo sexto decimo fortuito invenit investigator Francogallus Petrus Gyllius nomine, de quo nuper in *Melissa* iam est relatam (vide *Melissam* n° 144 p. 3 sq.). Ibi placet aer frigidulus, placet obscuritas et fremitus aquarum, e quibus antiquæ columnæ surgunt maiestate plenæ. Pisces inhiant ad viatores, qui nummos stulte iaciunt, ut Romæ mos est apud fontem a Trevi nominatum.

A Byzantinis transimus ad muslima meschitamque Cæruleam haud procul sitam, deinde ad antiqua, id est ad hippodromum.

Wolfgangus nos post prandium ducit ad duas minores meschitas, periegetis pæne incognitas eoque tranquilliores, sed vere nitidæ : Sokollu Mehmet Paşa et Parvam Sanctam Sophiam, gemmulam visu dignissimam. Inde litus Propontidis petimus, locum quærentes cenæ aptum. Sic ambulantes pervenimus ad vicum piscatorum, maxime similem Bruxellensis « rue des



*Heptapyrgion : ambulatio in mæniiis.*

Bouchers » Parisiensive « Saint Julien le Pauvre ». Inter lætam turbam cibi afferuntur modo satis chaotico ; effrenate canunt musici, quorum violina Alexandrum nostrum ita attrahit, ut mox inter eos ipse etiam vicinas mensas delectet.

Alii postea cubiculum petunt, alii festum protracturi se novis experiētiis, id est fistulæ aquaticæ, quæ *narghile* vocatur, dedunt.

Postero tamen die bene mane omnes iterum parati sunt ad longam ambulationem, quæ nos primum ad Heptapyrgion, arcem septem turribus instructam, et ad Sanctum Salvatorem in Chora ducit. Hæc parva, sed ornatissima ecclesia quinto sæculo extra muros, ut patet e nomine, primum exstructa, habetur ut una e pulcherrimis ecclesiis Byzantinis.

Inde turrim Galatam petimus, unde mirificus prospectus præbetur in totam urbem triaque maria, quæ eam alluunt. Volfgangus non solum vetera monumenta, sed etiam modernum urbis aspectum nobis ostendere vult ; qua de causa viam nunc sequimur Ottomanorum tempore « Grande rue de Pera » Francogallice vocatam, nunc autem « Istiklâl Caddesi », id est viam Libertatis. Diem opportune elegimus ! Ecce enim in quodam angulo pellicula cinemata conficitur ; cum non statim intellegamus quid ibi fiat, pelliculæ ordinator affabiliter, sed instanter rogat ut e scæna exeamus. Iter pergentes turmæ vigillum usque ad dentes, ut ita dicam, armatorum occurrimus ; qui sicuti nos scænam cinematicam transeunt, spectatorum plausus excitantes. Pertinentne etiam ad illam fabulam ? Variæ sunt inter nos de hac re sententiæ. At mox intellegimus eos non hic fuisse ioci causa : nam centeni alii vigiles militesque viam obstruunt, scutis, personis antigazalibus variisque tormentis instructi. Inquietudo paulatim augetur, scimus enim in Turcia nunc temporis esse tro-mocratarum motus. Mox tamen audimus nihil aliud fuisse, nisi operariorum protestationem publicam, quæ denique sine damno est peracta.

In hac urbe vita iam multo mane incohatur : hora tertia operarios audio in via laborantes, hora quinta

nuntiator religiosus, « müezzin » dictus, mahumetanos undique satis clamose monet horam esse precandi, hora quinta et dimidia Raphaël noster in viis ambulans animadvertit meschitas esse fidelibus repletas ; ideo nobis ad ientaculum venientibus iam videtur medius dies transiisse. Tamen bene mane, cum eximus e deversorio, adhuc pauci periegetæ ambulant. Hoc nobis hodie prodest : introimus enim in magnum mercatum eo tempore, quo venditores viam mercesque suas ante turbæ adventum purgant, et hæc atmosphæra suos etiam habet lepores. In itinere nonnullas meschitas videmus, quarum unam, parvam, nitidulam, valde ornatam, multum admiramur, meschitam a Rüstem Paşa nominatam. Ægyptiacus mercatus signatur odore innumerabilium condimentorum, quæ ibi venum proponuntur : ambulatio coloribus fragrantisque plena... Strenue pergimus usque ad aquæductum Valentis, deinde ad studiorum universitatem mercatumque librorum, qui ei subiacet, delicias plerorumque participum.

Ultimum diem, eundemque liberum, alii navigationi dicant, alii lustrationi palatii Dolmabahçe museumve visu dignorum, ut sunt, inter alia, museum operum musivorum idque artis Turcicæ.

Et iter nostrum festive concluditur lauta mensa dapifera in deversorio Hilton apposita.

Die 13 singuli in patriam revertuntur, Belgis tamen paululum sollicitis, cum in aeriportu Bruxellensi ortum sit inexpectatum baiulorum operistitium.

Una res manet dicenda : si quando Communitas Europæa intrepitibus non iam egebit, Volfgangus noster mutato munere certe fieri poterit Constantinopolis officialis mystagogus Latinus, qui lustrationes feliciter instituerit, qui urbis mirabilia scite commentatus sit, qui omnium quæstionibus tam affabiliter responderit quam docte. ❀



*Lectio Latina in cavædio meschitæ Rüstem Paşa.*

# DE COMITIIS FÆDERATARVM CIVITATVM AMERICÆ SEPTENTRIONALIS

– scripsit Paulus Kangiser Chiliensis –

Postquam senatrix Hilaria Clinton factionis democrætæ postulationem ad Domum Albam deseruit, Barak Obama unus eiusdem factionis candidatus restabat, qui comitiis mense Novembri habendis interesset et cum Iohanne McCain republicanorum candidato decertaret. In hæc autem comitia omnium oculi sunt conversi ; nunc enim primum accidit ut quidam e civibus Afroamericanis, qui olim nigri contemptim appellabantur, sedem gubernativam possit adipisci ; ex opinione autem comperitur utrumvis Præsidem Fœderatarum Civitatum fieri posse ; itaque hic nobis sunt pauca de his candidatis enarranda sine ira et studio.

Iohannes (John) McCain, miles et in bello Vietnamiensi heros ; nunc senator et republicanorum candidatus in comitiis præsidentialibus.

Ex patre avoque militari, anno 1936 natus in castris Fœderatarum Civitatum ad canalem Panamensem collocatis, nunc 72 annos agens, criminatur quod nimis senex sit ad gubernationem exercendam ; quapropter McCain sæpe affirmavit ex medicorum sententia se bene valere ; mater eius 93 annos nata strenua et firma est, filioque in postulationibus magnopere favit ; etenim Iohannes McCain anno 1982 ut legatus parlamentararis atque annis 1986 et 1992 et 1998 et 2004 ut senator victorias comitiales celebravit. Concives eum magni æstimant propterea quod in bello Vietnamiensi vere heroice se gessit ; ipse voluit aeroplano interesse prælio ; cum plures incursiones aereas in hostem egisset, telum aeroplanum tandem collisit ; deiectus in lacum ab hostibus captus est et in carcerem coniectus, variisque tormentis afflictus est ut commilitum consilia traderet, at omnia silenter patiebatur.

Vietnamienses, cum comperirent eum cuiusdam altissimi generalis filium esse, liberationem McCaino obtulerunt, dum scelera immania agnosceret a Fœderatis Civitatibus esse commissa ; esset, ut putabant, optimum præconium politicum. Ille vero refellit quod ex iure belli captivos eodem ordine quo capti essent liberari oporteret ; itaque McCain negavit se posse liberari priusquam commilites qui in anteactis præliis capti essent libertatem obtinerent. Hæc omnia eius concivibus relata sunt. Post quinque tristissimos annos in patriam revertit ; a præside Nixon insignibus honestatus est dum baculis subalaribus innisus stat ; inde veneratio in eum orta est, nam donec omnibus tormentis captivus cruciabatur, politici Fœderatarum Civitatum vitam festivam debebant, etiam substantias stupefactivas aliqui experiebantur, tunc ætas « hippie » vocata vigeat ; ille vero cum de patria, de moribus maiorum, de fortitudine alloquitur maxime credendus

est, nam dicta cum factis et facinoribus eius congruunt.

Anno 1965 Carolam Sheep uxorem duxit ex qua natam unam habuit et parvulos duos in adoptionem accepit ; postea tamen divortio iudiciali a Carola secessit alteramque uxorem Cindyam duxit ex qua tres natos habuit, insuper orbem ex orphanotrophio Calcuttensi, quod mater Teresia tum regebat, in adoptionem accepit ; septem pueri ab eo aliti sunt.

Anno 2007 ineunte difficile videbatur McCainum a republicanis candidatum nominari ; in factione republicana alii potiores iudicabantur ut Rudolphus Giuliani vel Mittus Romney ; tamen McCain apud suos paulatim suffragia accipiebat adeo ut republicanii postulationem eius idoneam eumque victorem futurum putarent. Inter tantam virtutem McCain vituperabatur quod interdum contumeliose ageret vel in quosdam politicos inimicos, etiam in eorum cognatos ; hanc ob causam et ipse veniam plus quam semel petere debuit.

Barak Obama, advocatus, senator ac professor iuris constitutionalis in Universitate Sicagensi, factionis democrætæ in comitiis candidatus.

Abhinc 47 annos in insula Hawaiana (Honolulu in urbe) editus matre Hiberna et patre Keniano ; biennio post quam natus est pater discessit ut in Universitate Harvardiensi œconomiam gratuito disceret ; deinde in Keniam munere publico functurus migravit. Mater cum esset a viro deserta, nupsit curatori petrochemico atque, cum esset Indonesianus, in Iakartam iter fecerunt. Ibi Barak iam sexennis etsi religione protestans erat, <sup>1</sup> scholam catholicam adibat, in terra præsertim mahumetana ; hæc mixtura illi haud male evenit, quare multiethnicam politicam nunc proposuit. Postea in Americam septentrionalem revertit, et Neoeboraci Barak Obama domicilium statuit legibusque operam dedit usque annum 1983 quo inter advocatos acceptus est ; anno 1985 Sicagi scriptorium legale aperuit atque in res sociales Ecclesiæ suæ consociatus incubuit ; intendit habitationes pauperum meliorare et operam dedit ut crimina commissa deminuerentur ; anno 1990 Universitatem Harvardiensem adiit quo maiorem iuris scientiam adipisceretur ; ibi fasciculos q.t. *Ephemeris Iuridica Harvardiensis* <sup>2</sup> primus Afroamericanus rexit. Postea in lucem edidit librum de vita sua c.t. *Somnia Paterna* <sup>3</sup> et deinde alium librum c.t. *Spes Audax* ; <sup>4</sup> ibi postulat ut phyleticæ, <sup>5</sup> politicæ religiosæque certationes vitentur quo facilius res omnibus usuales meliores.

Michælam uxorem duxit ex qua duas filias habet.

Affirmat, se Præsidi, cum gubernatoribus aut præsidibus Iraquianis, Cubanis, Venetiolanis sine præviis

## IN MEMORIAM

condicionibus de rebus publicis actum iri, quam ob rem ab inimicis vituperatus est ; Iudæi Americæ septentrionalis ne colloquium cum Iraquianis agatur invident. Præterea Obama bellum Iraquianum refellit, parum probat foedera de libero commercio, abactum sive abortum, <sup>6</sup> ut videtur, probat et immigrantes illicitos tueri oportere affirmat ; et quoniam in re multiphyletica versatur factionis democratæ suffragatores renovationem fieri putant.

Quis vincet ?

Difficile est decernere uter suffragia plura mereatur, nam qui in diariis scribunt candidatos tum similes tum dissimiles nobis pingunt ; nec semper iisdem rebus assentire aut dissentire ex diurnariorum dictis candidati videntur. Multa quoque in interrete legi possunt, at cum hæc scripta sint a candidatorum aut sectatoribus aut inimicis, fit ut mala videantur pessima et bona optima.

Auctoribus Iohanni Micklethwait et Andriano Wooldridge si credamus, qui nationem Fœderatarum Civitatum esse conservativam affirmant, <sup>7</sup> Iohannes McCain videtur potior pluribus concivibus suis, sin autem tempora vere mutantur, Barak Obama alterum candidatum superare possit ; saltem ex demoscopiis sic comperitur. ❧

---

1. Colit Ecclesiam Unitam Christianam.

2. *Harvard Law Review*.

3. *Dreams from my father*, Random House Inc., 2004.

4. *The Audacity of Hope*, Random House Inc., 2006.

5. Sive res ethnicæ.

6. Veteres abortum vocabant eum quem natura sponte faciebat ; abactum consulto agitur.

7. John Micklethwait and Adrian Wooldridge, *The Right Nation : Conservative Power in America* (New York, Penguin Press, 2004).

---

## IN MEMORIAM NORBERTI THIEL

Ad Norbertum Thiel  
obiit d.15.m.Jul.a.2008 / Idibus Juliis a. MMVIII<sup>o</sup>

Pulchrius <sup>1</sup> nil est pede prædicantis  
Auream pacem populo Polono  
Atque Germano, pueros docentis  
Pacis amorem.

Namque patriam, prius qua profugit,  
Ille visitabat et in domum suam  
Hospites suscepit ab urbe missos  
Lignitiensi.

Ad tuam æternam patriam profecte,  
Non Silesiam, – Elysium petisti,  
In Dei, Norberte, quiesce pace,  
Pacis amator !

1. cf. Jes. 52, 7 Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem.

Anna Elissa Radke

Planctus de morte Norberti Silesii Thilonis,  
vita functi idibus iuliis anni 2008.

Fortius quam Mors nihil est in orbe,  
ipse Amor nequit retinere Fata  
cum semel Parcæ voluere diræ  
carpere vitam.

Doctus et bonus fueras, fidelis  
et memor priscae patriæ relictæ,  
Ligniti pulchri ; veterumque morum  
cultor honestus.

Nunc fugit nobis tua docta lingua,  
qua docebas nos ; Latiique regnum  
luget et flemus quoque derelicti  
nos tui amici.

Alanus Van Dievoet



# E FABVLA DE FLORO MARTYRE DE MATRIS OBITV

– excerptum e Nederlandico sermone in Latinum conversum ab Edmundo Torfs –

PRÆFATIUNCULA THEODERICI SACRÉ

Moris olim erat ut alumni Lovanienses, sermonis Latini peritia provectiores, quo sermonem Romanum addicerent penitius, binas vel ternas quotannis scriptiunculas Latine exararent. Argumenta autem illis libere eligere licebat; itaque alii erant qui oratiunculas contexerent, alii qui strictim explicarent quid sibi proposuissent in dissertationibus academicis investigandum, alii qui capita aliqua e fabulis mythistoricis vernacule conscriptis selecta donarent civitate Latina, alii qui de quæstionibus, quæ tum sive in patria sive toto orbe terrarum agitabantur, quid sentirent brevibus disceptationibus exponerent. Sudabant illi quidem atque algebant dum sese sententiis Latine excogitandis accingunt, at pars ni fallor longe maior paucis post annis exercitia id genus non inutilia fuisse fatebatur, immo delectationis nescio quid habuisse cum pugna insolita coniunctæ. At ante hos paucos annos nova studiorum ratione in universitatem studiorum introducta, eiusmodi scriptionum numerus necessario minui est coeptus; nec iam Latinitatis studioso unicuique hac via est progrediendum ut ad gradum magistri perveniat. Quo fit ut his annis pauciores in hac arte atque eo in litterarum genere versentur; pauciores, inquam, at boni. Rei sit documentum specimen hoc, quod mihi est nuper traditum legendum atque emendandum. Qui scripsit, est ultimi anni alumnus; quod scripsit non ipse excogitavit, verum locum quendam e fabula Flandrica

notissima excerptum Latine vertit atque eleganter. Opus primigenium, quod *Floere bet Fluwijn* inscribitur, Latine certis de causis inscripsit alumnus *Fabulam de Floro martyre*, in vulgus emisit Ernestus Claes (1885-1968), scriptor Brabantinus qui olim apud nostrates, Flandros dico, maxima erat in gratia, nunc rarius legitur, quod quæ tempora describit, ea iam pridem evanuisse videantur, totoque ab hac ætate distet cælo indoles quam ille genti Flandricæ tribuit. Præstabat autem litterarum ille auctor ævi superioris personis non tam adumbrandis, quam diligentissime depingendis; accedebant scriptoris sales, facetiæ, festivitates; hinc nonnulli eius libri pelliculis cinematographicis accommodati vel in spectacula televisifica sunt quondam conversi. Hoc vero opusculum quod politissima perfectum arte ab alumno Lovaniensi in Latinum sermonem partim est translatum, quodque a ceteris eiusdem scriptoris operibus differt aliquatenus, sæviante bello altero pancosmio in lucem publicam est emissum. Nil de eo amplius, nisi unum: qui martyr appellatur non est vir martyrio affectus, sed fera, quæ et « martes foina » nuncupatur et inter animalia mustelina numeratur. Itaque fabula hac agitur de Flori et Critis animalculorum vita et casibus; qui fratres a Vela matre haud procul a villa quadam rustica aluntur. Hoc autem loco leges quemadmodum Vela obierit mortem dum prole comitante venatur cuniculos.



VERSIO

**A**tra nocte, dum nec cana lux pratum illuminat, nec Aluscinia canit, nec rana queritur, dum imber tenuis omni varietate carens in folia submisce stillat, cum liberis Vela mater prolabitur sub uvidulis arbustis. Tumidas in terram se leniter demittentes audit guttulas. Interdum acervus rameus quatitur aura. Crepitat ille velut avis quæ alis late patentibus pavida evolat – pernotus sonitus noctis. Iam, inquam, prolabitur Vela atque cognito tramite tuto properat. Neque radicem nec brachiorum nec ruborum spinis densorum nec putrium ramorum turba ei obstat : tacito cursu ad finem recte tendit. Florus et Cris sentiunt matrem aliquid spectare. Duos enim illa in extremo acervi latibulo cuniculos iam adultos detexerat. Viderat eos luna lucente fulminis instar in harena ante cavum salientes. Illo die trepida cuniculorum lustrum perscrutata erat. Nunc vero cuncti in alto cavo congregati sunt, nunc Vela cum liberis appropinquat. Sic uvidulis sub arbustis prolabitur.

Vela odorem diei et noctis, agri et prati, stagni et virgultorum callet. Acrem putidæ odorem humi callet. Non erravit umquam. Omne murmur, omnes invisibilia alarum susurros percipit, omnis vestigium olfacit animalis. Continuo natura ipsius contumax alieno vaporibus obnititur. E ramorum, fungorum, bacarum, foliorum radicumque madidarum turba tepidus odor evaporat, quo concitati nigri feræ oculi fulgent ceu margaritæ.

Vela subito subsistit. Iacet humi tam immota ut non ullus capillus se commoveat. Attigit enim harenam ubi, surgentibus circum alnis, rotundus cuniculo-

rum lustrum cavus situs est. Defixis oculis solum cavumque circumspicit. Non iam odorem suum animadvertit, sed alienum. Præpotentis illa quidem periculum olfacit hominis, at audit cuniculos in cavo pipiantes.

Etiamnunc imber e tumidis nubibus effunditur. Vela ad sinistram adque dexteram caput flectit et perscrutatur solum, dum cani illi capilli in auribus extremis trepidant. Repit illa circum ramos, extendit cervices, erigit se trunco innixa. Non tamen timida sed anxiosa est. Nam olfacit hominem, qui ipse – ut ei mos est – periculum ignotum, incertum, tacitum ac invisibile reliquit. Trepidans illa corpusculi mollis flexibus huc atque illuc trans harenam se versat, liberis semper comitata. Fit subito silentium. Denuo audit pediculos in cuniculorum lustrum leniter trepidantes. Expectat, dum fames, fames sanguinis viscera regit.

Explorat caute solum, convertit oculos ad rotundam cavernam, obrepit trans harenam capite porrecto. Pedetemptim appropinquat... crepitus ! ... Una acerba plaga, unus acer clamor, unus pediculorum strepitus, dum moribundæ ossa feræ ferreis tormentorum anfractibus franguntur...

Fit silentium.

Procedente nocte, foliis aqua strepentibus, Florus, dum frater inter eminentes agri spicas e conspectu abit, per atrum acervum profugit Mortemque effugere temptat. Non umquam obivit locum ubi mater in hominum insidiis amiserat animam. ❀

BIS AC TER QVOD PVLCHRVM EST

adagium 149

## DE GUIDVBALDO DEL MONTE (1545-1607)

– scripsit Victorius Ciarrocchi –

Non raro in scientiarum historia accidit ut quidam viri eminentissimi primos in disciplinis quibusdam investigandis gradus eosdemque admirabiles fecerint etiam quod a magistris vel minus celebrioribus impulsi fuerint ut quoddam in studium incumberent. Mirum huius rei exemplum præbuerunt Galilæus Galilei, cuius fama etiamnunc perdurat, et Guidubaldus e marchionibus Montis (Italice : « Del Monte »), qui anno 1545 Pisauri ortum habuerat atque totam fere vitam, exceptis ultimis ætatis suæ annis, quos in oppido « Monte Birottii » vocitato degit, hac in urbe commoratus est.

Is auditor fuit Friderici Commandino (1505-1575), Urbinatis viri de mathematicarum studiis benemerentissimi, qui multa scripta Græca ad has disciplinas pertinentia in Latinum sermonem reddiderat, sicut illud a viris doctis diu laudatum opus Pappi, mathematici Alexandrini, quod Latine *Mathematicæ Collectiones* a Commandino inscriptum est. Pisauensis marchio, postquam in universitate Patavina studiorum curriculum disciplinis mathematicis plerumque dicatum perfecterat, Franciscum Mariam II (1549-1631) « Roboreum » (Italice: *Della Rovere*), Urbinatis dominii ducem et anno 1571 participem belli, quod contra Turcos gerendum aliqui Europæ principes decreverant, secutus est ; gravi tamen correptus morbo iter pergere non potuit et nonnullas hebdomades Messana in urbe ægrotus mansit.

Hic vir nondum quintum decimum annum attigerat, cum feminam quandam, nomine Felix, et Francisci Mariæ sororem germanam, uxorem ut duceret pæne est coactus. Utrum illud matrimonium « felix » fuerit necne, fontes, quos quidem legerim, haud dicunt ; neque in liberorum numero illis ex nuptiis natorum consentiunt biographi, quoniam horum aliqui Guidubaldo tredecim liberos adtribuunt, alii eum patrem fuisse dicunt sex filiarum et undecim filiorum. Hos inter utique filios eminuit Horatius, et ipse non mediocriter doctus, qui de patre rettulit hæc : « Id inter tot eximios de re Astronomica scriptores præstitit non obscuri nominis pater meus ; qui, cum de Astronomia, studio ac industria cuperet benemereri, *Problematum Astronomicorum* opus conscripsit, quo universa huius scientiæ principia mira quadam facilitate complexus est. Hoc, quod audio ab eruditis efflagitari, non aspernendum facile mihi persuadeo [...] Ut ut est, opus ipsum in lucem edere decrevi, publicorum studiosorum commodo ; quale sit, quoniam meum affirmare non est, ipsi viderint » (in epistula operi addita, quod *Guidubaldi e Marchionibus Montis Problematum Astronomicorum libri septem* inscribitur, Venetiis, apud



Imago sumpta ex Wikimedia.org

Bernardum Iuntam, Io. Baptistam Ciottum et Socios, MDCVIII, Superiorum Permissu).

Atque in huius operis præfatione Guidubaldus ipse cum alia tum scripserat hæc : « Nos itaque susceptam provinciam aggressuri, eorum omnium in primis peritiam in huiusmodi negotio supponimus, quæ communiter ab omnibus ad quancumque facultatem accedentibus supponi solent [...] Illud sciendum est, multa et pæne infinita posse confici problemata astronomica, veluti in omnibus scientiis res infinitæ considerari possunt, quas quidem omnes pertingere est impossibile ».

Guidubaldus autem apud non paucos viros doctos iam innotuerat propter opus *Mechanicorum liber* inscriptum (Pisauri, apud Hieronymum Concordiam, MDLXXVII), quo continentur tractatus hi : De libra ; De vecte ; De trochlea ; De axe in peritrochio ; De cuneo ; De cochlea. Maximi momenti est opus supra memoratum præcipue hac de causa, quia in ipso primum res mechanicæ sunt investigatæ prout eadem cum machinarum usu coniungi possint ; quam quidem viam rationemque nemo alius antea excogitaverat. Quod Guidubaldo famam haud immeritam peperit.

Quanti præterea antiquos mathematicos ipse fecerit et quam accurate eorum scripta legerit (et linguam Græcam callebat), demonstrant etiam eius verba hæc (e tractatu *De axe in peritrochio* deprompta) : « Fabricam et constructionem huius instrumenti Pappus in octavo *Mathematicarum Collectionum* libro docet [...] Nobis igitur restat, ut ostendamus cur magna pondera ab exigua virtute quoque etiam modo hoc instrumento moveantur ; temporis quin etiam spatiique moventis invicem potentiæ ac moti ponderis rationem

aperiamus ; huiusmodique instrumenti usum ad vectem reducamus ».

Quam quidem viam rationemque hoc in libro secutus est Guidubaldus, explanandi scilicet mathematicas demonstrationes cum experimentis physicis coniunctas, eandem Galilæus in eo erat ut ad summos huiusce scientiæ exitus perduceret. Nam primum Galilæi opus *De rebus mechanicis* inscriptum et anno 1595 editum nonnullas continet propositiones, quibus ansam haud dubie dederunt eæ, quas ante aliquot annos vir doctus Pisaurensis in tractatibus *De vecte* et *De centro gravitatis* seu *barycentro* explanaverat. Præterea anno 1589 Galilæo munus biennale mathematicam in universitate Pisana docendi adtribuit Ferdinandus I, magnus Tuscæ dux, impulsore Francisco Maria cardinale Del Monte, Guidubaldi fratre. Et postea Guidubaldus ipse, qui suam de gravitate doctrinam iam illustraverat, Galilæo in academia Pisana variis rumoribus vexato suasit ut aliam in universitatem transmigraret. Itaque Pisanus vir ille ab anno 1592 usque ad annum 1610 in Patavina universitate magno multorum plausu audentium docuit et memoriam viri Pisaurensis recoluit honestavitque nuncupans Guidubaldum « summum ætatis nostræ mathematicum ». Galilæum enim non fugerat quot quantaque merita Guidubaldus opere illo sibi comparaverit ; nam *Mechanicorum liber* omnibus fere « viris totius Europæ doctis notus fuit », ut Henricus Gamba in quarto volumine operis c. t. *Historia urbis Pisauri* scribit (apud Marsilio, Venetiis, a. 2001, p. 94, in capite c. t. « De Guidubaldo Del Monte deque Galilæo Galilei », pp. 94-97). Præterea Gamba refert mentionem huius operis inveniri etiam in Ioannis Keplero libro *Ad Vitellionem paralipomena* inscripto (Francofurti, 1604, pp. 17-20) ; quo libro summus astronomus Germanus varios tractavit de lineis conicis aspectus.

Quodam in conventu, qui diebus 15 et 16 mensis Iunii a. 2007 Urbini et in oppido Monte Birottii (Italice : *Mombaroccio*) est habitus ut Guidubaldus commemoraretur, quidam viri docti nonnullas acroases fecerunt, quarum « acta » nondum edita sunt. Liceat igitur quædam referre : Valtarius Roy Lard, disserens « De Guidubaldo deque rebus mechanicis renascentialibus », refellit opinionem Petri Duhem, qui in opere quodam ad corporum libramenta pertinente (*De staticæ doctrinæ originibus*, Francogallice : *Les origines de la statique*, 2 voll., Paris, 1905-1906) virum Pisaurensis improbaverat utpote antiquis scriptoribus nimis obnoxium. E contrario Roy Lard una cum Martino Van Dyck putat Guidubaldum, etsi admiratorem antiquorum de rebus mathematicis scriptorum, tamen suo ipsius ingenio semper libere usum esse atque haud

inepte demonstrasse doctrinam mechanicam cum theoremate, quod est de ponderum libramento sive æquilibrio, stricte iunctam esse. Nam « Duo pondera in libra appensa, si libra inter hæc ita dividatur, ut partes ponderibus permutatim respondeant, tam in punctis appensis ponderabunt, quam si utraque ex divisionis puncto suspendantur » (*De libra*, propositio V, p. 30). Porro : « Potentia sustinens pondus vecti appensum, eandem ad ipsum pondus proportionem habebit, quam vectis distantia inter fulcimentum ac ponderis suspensionem ad distantiam a fulcimento ad potentiam intersectam » (*De vecte*, propositio I, p. 38). Atque non sine acri iudicio in *Mechanicorum libro* describuntur aliæ quorundam instrumentorum proprietates, sicut illæ ad cochleam pertinentes : « Pappus in eodem octavo libro multa pertractans de cochlea, docet quomodo conficienda sit et quomodo magna huiusmodi instrumenti moveantur pondera, nec non alia theoremata ad eius cognitionem valde utilia. Quoniam autem inter cetera pollicetur se ostendere velle cochleam nihil aliud esse præter assumptum cuneum percussione expertem vecte motionem facientem ; hoc autem in ipso desideratur, propterea id ipsum ostendere conabimur nec non eiusdem cohleæ ad vectem libramque reductionem, ut ipsius tandem completa habeatur cognitio [...] Ex his manifestum est, quo plures sunt helices, et quo longiores sunt scytaalæ sive manubria, pondus ipsum facilius quidem, tardius autem moveri [...] Poterit deinde quis struere machinas atque eas ex pluribus componere ; ut ex trochleis et succulis vel ergatis, pluribusve dentatis tympanis, vel quocumque alio modo, et ex iis, quæ diximus, facile inter pondus et potentiam proportionem invenire » (*De cochlea*, pp. 120, 128, 130).

Eidem conventui interfuit Dominicus Bertoloni Meli, qui acroasi sua iteravit quasdam sententias iam Anglice editas in periodico *Nuncius* inscripto (« Guidobaldo Dal Monte and the Archimedean revival », Florentiæ, a. 1992, fasc. 1, pp. 3-34) : nempe Guidubaldo maxime illud cordi fuisse, ut demonstraret quomodo Aristotelis placita philosophica cum Archimedis doctrinis mathematicis congruere possint. Nam in viri Pisaurensis opere c. t. *In duos Archimedis æqueponderantium libros paraphrasis scholiis illustrata* (Pisauri, apud H. Concordiam, MDLXXXVIII), cum alia tum leguntur hæc : « Aristoteles in principio *Quæstionum mechanicarum* [sed huius operis Aristotelem auctorem fuisse negant omnes fere viri docti] multa eaque præcipua ad causas rei mechanicæ dignoscendas aperuit, quæ secutus Archimedes in his libris mechanica principia explicatius patefecit eaque planiora reddidit. Nec propterea Aristoteles diminutus

extitit : etenim eorum, quæ ab ipso proposita et explicata fuere, problematum causas egregie patefecit [...] Quare Archimedes Aristotelem sequi videtur ; quod non solum patet ex iis, quæ dicta sunt, verum etiam si Archimedis postulata consideraverimus, quibus constituendis ea, quæ de principiis mechanicis Aristoteles patefecit, Archimedem supponere comperimus [...] Præterea philosophiæ ac mathematicæ professores in hoc conveniunt, quod cum aliqua ad philosophiam spectantia tractant, mirum in modum Aristotelem laudibus extollunt. Qui vero mathematicas pertractare student, statim ad Archimedis laudes pariter se conferunt » (pp. 4-5 præfationis).

Ceterum iam inde ab ineunte sæculo XVI de Aristotelis philosophia, quem aliqui viri docti etiam tunc sequi solebant, dum alii respuebant, multum acriterque disputatum est. Inter adversarios illius philosophi Græci fuit Ioannes Baptista Benedetti, ut facile intellegitur ex ipso huius operis titulo : *Demonstratio proportionum motuum localium contra Aristotelem et omnes philosophos*, quo opere ille vir doctrinam de motu Aristotelicam non sine argumentis validioribus refellere contendit.

Aliud Guidubaldi opus memoratu dignum inscribitur *Perspectivæ libri sex* (Pisauri, apud H. Concordiam, MDC), cuius in præfatione leguntur et hæc : « Francisco Mariæ S.R.E. Cardinali A Monte amplissimo Guidus Ubaldus frater S.P.D. Non te præterit, Cardinalis amplissime, quanta animi iucunditate in mathematicarum disciplinarum contemplationem quandoque incubuerim. Quarum sane studium, si veluti est iucundissimum et ingenuo præsertim homine dignum, ita ab eiusdem nominis viris conservatum ac custoditum fuisset, non dubito quin mathematicæ scientiæ peculiarem sinceramque apud omnes retinerent dignitatem passimque præclara earum existimatio vigeret. Præsertim vero earum, e quibus, veluti uberrimo fonte tot egregia illustrium virorum emanarunt opificia, Mechanicæ nimirum ac Perspectivæ præstantioresque operativæ artes, quæ normam et regulam in suis construendis operibus ab iis sumpserunt eisdemque mirabilium suorum inventorum partam sibi palmam merito adscribendam acceptamque fovendam libentissime fatentur [...] ».

Quibus quidem e verbis nec non ex aliis locis clarius patet quam penitior etiam linguæ Latinæ doctrina eminuerit Guidubaldus Del Monte, qui etsi genere scribendi sæpe ac necessarie usus sit potius Vitruvii et Plinii senioris redolente, summos tamen scriptores Romanos imitari valuit, prout videlicet sibi occasio præbita sit opportunior. Bernardinus Baldi (1553-1617), vir præcellentis doctrinæ et complurium de variis dis-

ciplinis librorum scriptor, in opere c. t. *Mathematicorum Vitæ* dignum putat Guidubaldum, qui die 6 mens. Ian. a. 1607 mortuus est, laudibus non fucatis eundemque præstantissimis illius ætatis mathematicis annumerat. Quare non immerito in palatio Pisarenensi « Olivieri » nuncupato quondam adservabatur inscriptio hæc : « Guidus Ubaldus/ Rainerii F. De Monte/ Montis Birotii Comes II/ Mathematicis Disciplinis Excultissimus ». ❖



# DE ÆTATE AVREA LIBRORVM LATINORVM LVTETIÆ PARISIORVM

– scripsit Daniel Blanchard –


Ætate nostra, pars librorum Latine typis impressorum minor est, quam pars eorum, qui vulgaribus linguis compositi sunt; perpauci typographi adhuc scripta Latina vulgant. In tabernis librariis exempli gratia facilius est Ciceronis opera Francogallica lingua edita invenire quam Latina. Hoc autem sic semper non fuit: usque ad sæculum enim decimum septimum, maior pars librorum qui in universa Europa excudebantur fuerunt libri Latini auctorum tam antiquorum quam recentiorum. Omnes, qui Latinitatem exploraverunt, sciunt linguam Latinam valuisse in Europa usque ad tempora quæ dicuntur « moderna » mira vivacitate, atque floruisse innumerabilium excellentiumque scriptorum gratia. In historia officiali litterarum tamen (præcipue in Francogallia) litteræ Latinæ « modernæ » numquam apparent, neque ad eas alluditur fere, atque ad nubes tolluntur litteræ patriæ quæ fere ex nihilo ortæ videntur. Terra nostra meminisse non vult, linguam Francogallicam sub specie temporum præteritorum recentem esse, neque fuisse unicam linguam nostræ regionis. Hoc doleo, quod Europæ cultum animi debilitat atque communem in historiam fidem.

Si tamen magistri nostri temporis obliti sunt rerum actarum, libet apud librarios intiroire, qui libros antiquos venum dant. Hac delectatione librorum antiquorum emendorum flagro, et iam decem annos percurro Europam ut optimas editiones scriptorum tam Latinorum quam vernaculorum colligam. Ex hoc celeriter intellexi, cum pertineat ad libros antiquos, vernacu-

los esse rarissimos immo Latinos satis abundantes. Quo pacto hoc fit?

Ratio simplicissima est: urbes quæ nunc solas linguas vernaculas colunt, olim avidè colebant litteras Latinas. Inter quas numerare oportet Lutetiam, quæ dives universitate sua collegiis ecclesiis abbatibus artificibusque fervebat amore litterarum, (quem numquam feliciter deposuit, neque his temporibus parum artibus faustis) atque repleta erat libris quos emebat atque producebat. Placeat regentibus nostris annon, Latinitas erat sermo communis doctorum, ecclesiasticorum atque artificum illo tempore, unde adhuc nominatur vicus Parisinus quidam « vicus Latinus ». Omnibus his hominibus Musis dicatis opus erat libris. Unde fit ut sit edita Lutetiæ ingens copia librorum Latinorum. Quonam tempore? Longo, lectores optimi, longo tempore. Loquor de ætate quæ sæculum decimum tertium usque ad decimum septimum complectitur!

Sæculo decimo tertio, iam diu mortui sunt philosophi sicut Abælardus qui Lutetiam doctrina sua fecerunt novas Athenas: dicitur « alma mater artium liberalium atque litterarum » a Bartholomæo Anglo. Scriptoria laica extra abbatias apparent ut desiderium studiosorum magistrorumque compleant. Opus enim erat multis libris: alumni adveniunt ex tota Europa ut apud notissimos magistros erudiantur. In ripa Sequanæ sinistra, florent ergo scriptoria universitaria; in Insula Civitatis, iuxta ædes regias florent librarii qui ornatisima manuscripta venum dant potentibus, neque



*Manuscriptum  
breviarium  
Parisinum cum  
musica anni  
circiter 1290.*



*Liber horarum ad  
usum curiæ  
Romanæ, Thielman  
Kerver, 1502. Hic  
videtur virga Jesse.*

desunt in abbatibus Parisinis (Sancti Dionysii, Sancti Victoris, Sancti Germani in Pratis) scriptoria quæ producunt libros religiosos mira cum arte (videte imaginam primam). Fabricatio librorum regitur a librariis, qui scriptoribus (sive scribis) dant exemplaria scribenda sub specie parvi libelli nomine « peciæ ». Studiorum universitas regit librarios, quorum numerus anno 1323 est viginti octo, et inspicit scripta ne erroribus mendisve scateant. Cum nonnulli mercatores divites, ecclesiastici, optimates atque rex ipse vivant Lutetiæ, rubricatores illuminatores non desunt hac in urbe. Circa annum 1420 turbationum belli C annorum causa multi artifices urbem linquunt, anno autem 1450 peracto illuminatores denuo opera mira Lutetiæ creant.


Anno 1470 creatur Lutetiæ prima officina typographica in universitate Sorbonensi. Impressionem mobilibus plumbeis litteris credimus inventam esse circum annum 1450 a Germano nomine Gutenberg : hæc ars celerrime divulgatur in Europa inter annos 1460 et 1485. Primus impressor Parisinus est Germanus Iohannes Heynlin, adiutor autem eius Guilhelmus Fichet. Primis annis Lutetiæ non imprimuntur multa scripta quæ ad litteras pertinent, sicut in Europa (Venetiis, Romæ, Basileæ, Nurembergiæ, Colonia Agrippinensi, Argentorati...) immo multi libri religiosi. Si urbes Gandavum Brugæque merito dicuntur esse urbes principes librorum horarum manuscriptorum in Europa, Lutetiæ imprimuntur perpulchri libri horarum incussionibus ligneis ornati apud librarios sicut Verard,



*Ovidii De Ponto  
libri quattuor,  
« impressi  
Parisius per  
Robertum  
Gourmont com-  
morantem in  
Clauo  
Brunello » (sic)  
anno 1511.*

Du Pré, Pigouchet, Simon Vostre vel Thielman Kerver. Delineatores Parisini non minus valent quam notissimi Germani incussores huius temporis. Copia ingens est, ac divulgatur in tota Europa propter virtutes insolitas illustrationis (videte imaginem secundam). Generatione sequenti oriuntur homines qui litteras classicas modernasque funditus colunt (nonnulli in Italia philologiæ apud « humanistas », qui dicuntur, studuerunt artemque impressoriam Venetiis apud Aldum Manutium mirum impressorem sæpe didicerunt), atque magna cum cura vulgant scripta : nomina eorum sunt Henricus ac Robertus Stephanus (vulgo Estienne), Iodocus Badius, Iohannes Parvus, fratres Gourmont, Simon de Collines, Franciscus Regnault, Godofredus Tory, Dionysius Janot. Florent usque ad annum circiter 1540. Mea sententia est ætas aurea libri Parisini : emendata scripta, typographia mira, ornamenta elegantissima, vitalitas commentatorum, inter quos haud raro numeratur Erasmus exempli gratia, voluntas fortis impressorum ornate agendi, omnia concurrunt ut sint hi libri pulchriores editiones totius Europæ (videte imagines tertiam, quartam, quintamque). Hac tamen ætate, pars librorum Francogallicorum est minima, plus minusve quina centesima.

Annis sequentibus Lutetia turbatur bellis religiousis, quibus inter se debellarunt catholici protestantesque : fuit ætas mira ubi floruerunt artes inter persecutiones. Familia impressoris Stephani confugit Aureliam Allobrogum Basileamque cum officina ; Stephanus



*Ciceronis opera  
rhetorica ab  
Iodoco Badio  
impressa instigan-  
te Iobanne Parvo.*

Doletus uritur publice in rogo ecclesiae qui dicebatur fuisse atheus anno 1547; eodem tempore, litteras Graecas perpulchras sculpsit Claudius Garamond neque, sicut accidit antea, prohibitum est linguae Graecae studere. (Anno enim 1505, in studiorum universitate Sorbonensi, ecclesia instigante, prohibentur studia Graeca... haec prohibitio feliciter non duravit!) Secundo dimidio saeculo decimo sexto, pars librorum Francogallicorum augetur: nunc unius in decem est! Florent impressores sicut Michael Vascosanus, Fredericus Morel, Bartholomaeus Macé, Benedictus Prevost, Mamertus Patisson... Aspectus librorum funditus mutatur. Littera gothica, quae usque ad annum 1530 superfuera in libris religiosis et nonnumquam laicis, evanuit. Glossa, quae circumtenebat scriptum, cedit adnotationibus in ima pagina vel post scriptum positis (videte imaginem sextam). Non desunt editiones accuratissimae Latinorum scriptorum amplissimis cum notis ab omnibus commentatoribus saeculi! Notae, ut patet, sunt Latinae.

Saeculum decimum septimum, cum de arte typographica agitur, est saeculum Bataviae: typographus Plantinus exeunte saeculo XVI Antverpia iam superaverat omnes collegas, atque dominatur familia una quae Amstelodami Lugdunisque Batavorum vivit, id est familia Elzevier. Non autem decedit typographia Lutetiae Parisiorum. Societas Iesu Latine instituit multos discipulos, et ei necessarii sunt multi libri. Rex condit typographiam regiam, quae hodie superest nomi-

ne « imprimerie nationale » (officina impressoria nationalis). Nec minus pulchrae sunt editiones quam saeculo praeterito: Poussin enim pictor notus delineat frontispicium editionis operum Vergilii anno 1643, ut alia taceam... Reges huius temporis, quamquam toti regno linguae Francogallicae imposuerunt usum, adhuc favent linguae Latinae, neque desunt poetae scriptoresque Galli qui Latine mirifice ornateque componunt: de quibus iam scripsi (videte: *Melissae* fasc. 138, p. 11) et denuo scribam si suppeditet otium, inter quos libet nominare Santolium, Ruæum, Huetium, Cossartium. Scripta Gallica (exempli gratia *Fabulae* a La Fontaine scriptae vel carmina a Boileau) in linguam Latinam vertuntur. Typographi huius temporis sunt Sebastianus Cramoisy, Claudius Thibout, Iohannes Cusson, Simo Benard...

Haec aetas, quae decurrit ab annis 1200 usque ad annos 1700, a nonnullis vocatur aetas aurea libri Parisini, merito ut puto. Sequentibus saeculis tamen hic pulcher usus Latine imprimendi non destitit, immo valde floruit apud bibliopolas sicut fratres Barbou saeculo XVIII (qualis fuit elegantia typorum eorum!), Charpentier vel Firmin-Didot saeculo XIX, et usque ad nostram aetatem inter alias editiones « Les Belles Lettres » producent elaboratissimam artem Parisinam. Lutetia Parisiorum autem non iam potest dici, sicut fuit olim, urbs princeps librorum Latinorum. Libri Latini nunc raro magna cum difficultate divulgantur. Spes tamen novae aetatis aureae superest, quam vos oro obsecroque, optimi lectores, ne deponatis in corde. ❧



Methodus Latinitatis vivae Corderii impressa anno 1541 a Roberto Stephano ad usum alumnorum collegiorum.



Initium odarum libri primi Horatii a Bartholomaeo Macé impressarum anno 1604: videtur et initium commentariorum, qui pro oda prima occupant tres paginas integras. Omnes libri proveniunt ex collectione privata auctoris.




BIBLIOTHECA LATINA  
DE NOVIS LIBRIS

*P. Vergilii Maronis Æneis. Libros I et IV ad usum discipulorum* edidit Hans H. ØRBERG aliquot versibus demptis, Grenaa, Domus Latina, 2008, 80 p.

Nemo potest simul esse *Melissæ* lector et nihil scire de Iohannis Ørberg ratione docendi cui titulus est *Lingua Latina per se illustrata*, quippe quæ in his paginis sæpe, necnon iure et merito, sit laudata. Omnes sub oculis iam habuerunt illa opera in quibus omnia Latine tractantur nec ulla alia lingua, ubi in paginarum marginibus vocabula sive delineamentis sive aliis vocabulis iam notis explicantur, et ubi notitiæ auctoris ingenio defluere videntur aliæ ab aliis, sicut flumen tranquillum.

Simili ratione Iohannes Ørberg feliciter pergit libellos edere, quibus discipuli, sufficientem scientiam adepti, accedere postea possint ad auctores classicos. Præsto iam erant Plauti *Amphitryo*, Cæsaris *Bellum Gallicum* et Petronii *Cena Trimalchionis*, ecce nunc Æneidos liber primus et quartus simili modo propositus – duo libri peropportune electi, cum in scholis sæpe legantur. Non solum discipulus, sed et magister gaudebit de marginalibus explicationibus, quæ lectionem multum adiuvant. Alia etiam adsunt utilia: mappæ geographicæ, Troianorum genealogia, vita Vergilii e Suetonio et Servio excerpta et indices vocabulorum, imprimis index nominum vere salutaris.

ISBN 978-87-90696-17-7



Axel SCHÖNBERGER, *Priscians Darstellung der lateinischen Präpositionen. Lateinischer Text und kommentierte deutsche Übersetzung des 14. Buches der Institutiones Grammaticæ*, Francofurti Mœnani, Valentia, 2008, 218 p.

Priscianus, ex Africa oriundus, initio sæculi VI artem grammaticam linguamque Latinam Constantinopoli magna cum gloria professus est. Tempore quo lingua Latina in orientali parte imperii Romani magis magisque labefiebat, ipse grammaticam ab antiquis Romanis traditam ita cum Græcis scriptoribus conferre et quasi renovare valuit, ut aliquatenus haberi possit pater grammaticæ modernæ.

Eo magis dolendum est quod eius Institutionum Grammaticæ adhuc desiderantur editiones, translationes et commentarii. Quam tamen lacunam videmus hic partim impletam: Axelius enim Schönberger in serie « Bibliotheca Romana et Latina » librum quartum decimum « De præpositione » denuo edidit ornavitque Theodisca translatione et permultis necnon utilibus adnotationibus. Additur bibliographia et, tamquam appendix, anastatica redimpressio editionis ab H. Keil undevicesimo sæculo factæ in præclaro opere c.t. *Grammatici Latini*. Scitu etiam dignum est auctorem editionem bilinguem annotatam totius Prisciani operis nunc præparare.

Ceterum, bone lector, si scriptores tua intersunt, qui Grammatici Latini vocati sunt, sedem interretialem hanc <http://kaali.linguist.jussieu.fr/CGL/index.jsp> non sine fructu inspicias.

ISBN 978-3-936132-18-2

Christian LAES, Johan STRUBBE, *Jeugd in het Romeinse Rijk. Jonge jaren, wilde haren ?*, Lovanii, Davidsfonds, 2008, 238 p.


Non tam multa liquet de Romanorum adolescentium vita, condicione difficultatibusve. Si quis comperire cupit quomodo iuvenes antiqui se habuerint, num ignavi tumultuosive fuerint, an ritibus quibusdam ad vitam adultam transiverint, vitam publicam sat mature participaverint, quem locum in hominum societate habuerint, quomodo amaverint, quæ fuerit puellarum condicio, et ita porro, oportet permultos fontes litterarios, inscriptiones, papyros assidue investigare. Quod docte et sedulo fecerunt auctores huius libri Nederlandice conscripti, lectoribusque latum conspectum offerunt, qui ad ius, vitam, institutionem, ritus, valetudinem, consuetudines, consociationes, officia, ad puellas, ad matrimonium, denique ad iuvenes christianos, pertinet. Imagines sunt perpulchræ; inter eas nos maxime tangit facies iuvenis feminæ, in regione Fayum inventæ, quæ in huius fasciculi tegumento ostenditur. Nec desunt glossarium, bibliographia variique indices.

ISBN 978-90-5826-508-1

*Slovak Songs in Latin - Slovak - English. Resonantia Tatræ*, in sermonem Latinum convertit Bystrík MURÁNSKY, Wauconda - Martin, Bolchazy-Carducci Publishers - Matica slovenská, 2008, 224 p.

Cantus, ait editor in Anglico proœmio, est vox cordis. Itaque in his quoque Slovacis cantibus, ceteroquin vere singularibus, aliquid inest universale. Hæc Latina versio, cui titulus datus erat *Resonantia Tatræ*, anno 1963 facta sed nunc primum edita, Bratislavæ latebat in aliqua bibliotheca privata. Translator, sacerdos Salesianus interea (a. 1972) vita functus, in Latina præfatione explicat se duabus de causis in Latinum vertisse Slovacorum cantilenas, ut lingua omnium gentium communi extraneos etiam patriis cantibus delectaret, necnon ut scholarum discipulis Latinitatem præberet iucundam et facilem. Redolent autem hi veteres cantus vitam rusticam, simplicitatem animarum agrestium vitæque populi, pietatem Christianam. Narrant bellam patriam, festa religiosa, camporum flores, gaudia, mærores, risus et lacrimas. Notæ musicæ insuper sunt descriptæ, quibus lector iuvetur ad melodiam inveniendam. Quos modos musicos conscripsit Victorius Stefanec. Theodericus Sacré manuscriptum non solum emendavit, sed etiam hic illic opportune adaptavit ad melodiam. Imagines pictæ sunt a Iosepho Cincik.

ISBN 978-0-86516-567-0







## *In hoc fasciculo !*

- De cæli condicionis mutatione* [G. Licoppe] p. 1  
*De seminariis Hungaricis* [G. Licoppe] p. 2  
*De itinere Constantinopolitano* [F. Deraedt] p. 3  
*De comitiis Americæ septentrionalis* [P. Kangiser] p. 5  
*In memoriam Norberti Thiel* [A.E. Radke, A. Van Dievoet] p. 6  
*Fabula de Floro martyre* [E. Torfs] p. 7  
*De Guidubaldo del Monte* [V. Ciarrocchi] p. 9  
*De ætate aurea librorum Latinorum Lutetiæ Parisiorum* [D. Blanchard] p. 12  
*Bibliotheca Latina* p. 15

*Imago tegumenti : facies iuvenis feminæ (c. 160-180 p.Chr.n.),  
ex oasi Fayum (Lutetiæ Parisiorum in museo Luparæ)*

---

## INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30. Lectiones  
incohantur die 1 m. Octobris.  
Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.  
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$  
Banque ING : 310-0644994-30,  
Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430